

## DE MONASTERIO BREVNOMIENSI

*Georgii Laminarii Bohemi (qui et "Jiří Čepelák") oratio Pragae in monasterio Brevnoviensi coram seminarii Latinitatis vivae participibus magna ex parte habita<sup>1</sup>*

I. Venerabiles Latineque eleganter loquentes, etsi non sum dignus ego pessimus orator pessimusque Latinitatis cultor levare oculos ad vos, pauca de monasterio Brevnoviensi vobiscum communicare velim in honorem cum vestrum, tum Illius laudabilis valde de quo Augustinus vobis bene notus verba fecit.

Boleslaus Pius, princeps Bohemorum, et Adalbertus, episcopus Pragensis, saeculo decimo exeunte tignum in fonticolo, qui in horto monasterii reperitur, nacti locum ad coenobium condendum admodum opportunum invenerunt, quippe haud longe arce Pragensi positum, in qua iam diutius quam mille annos gubernatores rei publicae ecclesiaeque antistites sedes habent; qui locus adhuc, quamvis permultis aedificiis cinctus propemodum in sinu urbis sit, tranquillitatis plenus est.

Haec quorum in medio sumus, non semper eadem fuere: circa nos enim non solum mola alata post collegium alumnorum academicorum caelo imminens et piscinae sub monasterio usque ad tempora nostra servatae, sed etiam braxatoria, officinae laterariae, agri fecundi, pomaria uberrima, horti oleracei, viridaria iacebant; multa, inquam, multa temporis progressu periere; attamen meditullium harum rerum omnium spectare nobis et coetaneis nostris licet; itaque porta monasterium ingredi, hortos tempore coenonistarum destructos, horrea frumentaria, granaria, diaetas animum oblectantes, aedes celeberrimas admiramus. Quid in medio? Quid eminet? Quid pietate eximia egregiaque forma excellit? Mente fingatis arborem pulcherrimam frondibusque vestitam, cuius in medio immensus in visusque pietatis flos cernitur. Nequaquam enim forte fortuna, credo, contigit ut hoc monasterium tamquam lignum plantatum secus decursus aquarum conderetur, ut fructum suum daret in tempore suo et folia eius numquam defluerent.



Monasterii porta et ecclesia S. Margarithae



Ecclesia S. Margarithae et praelatura

<sup>1</sup> Haec oratiuncula ineunte mense Augusto anno MMVI<sup>o</sup> inter seminarium Latinitatis vivae Pragense habita est, quod Institutum Graecitati et Latinitati augendae Facultatis philosophicae et Facultas theologiae catholicae Universitatis Carolinae Pragensis una cum Latinitati Vivae Provehendae Associatione (L.V.P.A.) paraverunt. Quod ad huius symbolae speciem adtinet, non possum quin maximas ex animo agam gratias monasterii Brevnoviensis superioribus, quippe quorum cum permisso hanc oratiunculam exornare mihi liceat photographematis ab Andrea Koupil, sodali eximio, captis.

Quae omnia, aliquot verbis mutatis, etiam prelo subiecta sunt, vide symbolam Georgii Čepelák *De monasterio Brevnoviensi*, Vox Latina tom. 44, 2008, fasc. 171, pp. 30-39. Si plura de Latinitate viva Pragae colenda, lector doctissime, scire cupias, [Instituti Graecitati et Latinitati augendae](#) et [Circuli Latini Prageni](#) paginæ in rete omnium gentium positæ tibi praesto sunt.

Architecti est scientia pluribus disciplinis et variis eruditionibus ornata, cuius iudicio probantur omnia quae ab ceteris artibus perficiuntur, ut ait Vitruvius in prooemio operis sui de architectura conscripti. Circumspicite! Aspice paries circa vos erectos, quorum ne ullus quidem convexus non est; nam omnia moventur tamquam animus hominis bonam erga Deum pietatem fidemque servantis. Quis autem haec ante oculos nostros posita construxit? Chilianus Ignatius Dientzenhofer, architectus optimus, una cum Venceslao Francisco Jackelio, praecclaro sculptore Budissae in Lusatia Superiore nato, et Petro Brandl, eximio pictore Bohemo, haec admirabilia perfecit.

**II.** Sed haec hactenus; ad institutum redeamus. Hoc templum, ut videtis, in partes duas dividitur; navem et presbyterium, deinceps muros ad septentriones, ad meridiem vergentes cernitis. Altaria prima parieti meridiano imposita divo Othomaro dicata sunt, propterea quod Othomarus Zinke, abbas, patronum et defensorem suum sanctum venerari voluit; qui sanctus saeculo octavo, quamvis magna potentia praeditus, se in monasterium contulit et coenobiarcha Gallopoli obiit; cuius apud sepulcrum, postquam brevi corpus eius translatum est, et monachi et peregrinatores Othomarum precantes ut pro se oraret convenire solebant. In medio imago translationis corporis eiusdem divi posita est – videatis: etsi procella fuit, tamen faces tremulā flammā ardebant lucebantque et dolium baculo sancti tactum identidem vino implebatur. Praeterea statuas divisorum Bonifatii et Alexii, quibus primum haec ecclesia dicata fuit, et supra altaria cor in triangulo flagrans cernitis.

Altaria deinde divi Benedicti videtis, qui anno CDLXXX<sup>o</sup> Nursiae natus Romae operam studiis dedit, omnia huius vitae blandimenta deseruit, despexit, conculcavit, se ad fidem excolendam, ad monasteria apud Sublaqueum condenda contulit, posthac precibus monachorum commotus praesul monasterii in Vico Varronis siti factus est; quod coenobium, cum eum veneno occidere conati essent, dereliquit, monasterium in Monte Cassino exstruendum curavit regulamque fratribus destinatam magna cum pietate et mansuetudine conscripsit. In mediis altaribus obitus sanctissimi viri ita depictus est ut eum nobis Gregorius Magnus his verbis tradidit: *Qua scilicet die duobus de eo fratribus, uni in cella commoranti, alteri autem longius posito, revelatio unius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque quia strata palliis atque innumeris corusca lampadibus via recto orientis tramite ab eius cella in caelum usque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cuius esset via quam cernerent, inquisivit. Illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait: Haec est via qua dilectus Domino caelum*



Altaria sanctorum Benedicti et Othomari



Sanctus Benedictus in caelum ascendit

*lampadibus via recto orientis tramite ab eius cella in caelum usque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cuius esset via quam cernerent, inquisivit. Illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait: Haec est via qua dilectus Domino caelum*

*Benedictus ascendit.*<sup>2</sup> Supra crucem sancti Benedicti videtis, qua diabolus repelli posse dicitur.

Tertia altaria beato Gunthero et sancto Procopio dicata sunt, propterea quod tantum beatis aras consecrare nefas habebatur. Guntherus igitur summo loco Thuringiae natus, dignitate et meritis illustris, insuper propinquus imperatoris Henrici huius nominis secundi et Stephani, regis Hungarorum, fuit; quin etiam publicis in legationibus obeundis diutissime versatus pacem inter imperatorem Henricum et Bretislauum, principem Bohemorum, qui Gnesnam ceperat exspoliaveratque, prospere conciliavit; paulo post sacrae familiae instituta in Altacha Inferiore professus novum coenobium condidit seque in silvam Gabretam recepit. Posthac Bretislauus cervum desuper missum secutus Guntherum senem in cellula quadam invenit, sermonemque cum eo habuit. Ille autem se mox supremum diem obitum professus optavit ut Brevnovii sepeliretur; idcirco postridie summo diluculo princeps Bohemorum Severum, episcopum Pragensem, eo consilio arcessivit ut Guntheri vitam aeternam corporis et sanguinis perceptione muniret; quo quidem facto Guntherus immaculatum Deo spiritum tranquille reddidit.<sup>3</sup> Supra imaginem sancti Procopii diabolum superantis admiremini; hic eremita, etsi monachus Brevnoviensis habebatur, saeculo undecimo monasterium Sasaviense prope Pragam condidit eodemque fratres Benedictinos linguam Palaeoslavicam colentes induxit.

Prima deinde altaria parieti ad septentriones vergenti imposita divoque Venceslao, patrono ac perpetuo Bohemiae principi, dicata ornantur pictura, in qua caedes eius, quam antiquis iam temporibus Christianus qui dicitur enarravit, depicta est. Boleslaus enim, frater Venceslai minor natu, saeculo decimo ineunte principatum assequi cupiens presbytero ecclesiae sanctorum Cosmae et Damiani in arce sua sitae, ubi illo tempore Venceslaus commorabatur *iniunxit ut venienti quidem ecclesiam ingredi omnino negaret, ne forte militibus eius fidelibus seu camerariis eius, qui adhuc lecto detinebantur, vel populis supervenientibus liberaretur neve sanguinis effusione et sceleris opus ecclesiam foedare et infringere videretur;* miserum Venceslaum, cum bene mane surrexisset, ad ecclesiam iisset, ianuam clausam invenisset, frater, immo subdolus parricida una cum militibus suis



Altaria beati Guntheri et sancti Procopi



Altaria sancti Adalberti

<sup>2</sup> Tota narratio invenitur in Gregorii Magni *Prolegomenis. Vita S. Benedicti* (Ex libro II Dialogorum S. Gregorii Magni excerpta), Patrologiae cursus completus. Series prima. ed. J.-P. Migne, LXVI, Lutetiae Parisiorum 1847, cols. 125-204.

<sup>3</sup> Tota narratio invenitur in *Vita Guntheri Eremitae*. Monumenta Germanorum Scriptorum (Mon. Germ. Script.) XI, pp. 276-279, et Fontes rerum Bohemicarum (FRB) I, Pragae 1873, pp. 337-346.

derepente e latebris egressis obtruncavit;<sup>4</sup> quare corona laurea, signum martyrum, supra posita est.

Altera altaria sanctae cruci dicata sunt, erga quam saeculo duodecimmo praincipua religione fratres Benedictini tenebantur; cuius in medio imago Christi morientis atque exspirantis et Mariae Virginis Dolorosae cum corde gladio doloris ingentis percuesso videtis. Oculos deinceps vestros ad ambonem sacri concionatoris et ad eam aram prope presbyterium sitam tollite in qua sanctus Adalbertus, episcopus Pragensis, et Boleslaus Pius, princeps Bohemorum, monasterium condentes depicti sunt; hoc autem loco pro tigno truncus et

superiore in parte sanctissima Trinitas Anastasium et Gaudentium, monachos Brevnovienses, in caelum accipiens cernuntur.


Meridianus presbyterii paries altaribus Mariae Virginis, deliciarum Benedictinorum, ornatur, quorum in parte inferiore plenarium ostenditur saeculo quinto decimo confectum, in quo effigies, qua Christi vita narratur, e margaritis facta et umerus divae Margarithae, cui hoc templum ab saeculo duodecimmo ineunte dicatum est, servantur; hic quoque multis ante annis beati Guntheri reliquiae fuere. Deinde sellam archimandritae cum statua sancti Adalberti cum remigio quo a Borussis percussus est, oratorium praesulnis monasterii, stalla, quibus usque ad tempora nostra fratres Benedictini Deum orantes ac precantes utuntur admirari potestis. Illuc in angulo lapis sepulcralis beati Guntheri structura Romanica sculptus cernitur; eiusdem prorsus speciei lapis muro extrinsecus impositus est, ut ecclesia clausa peregrinatores ad clientelam beati



Beati Guntheri lapis sepulcralis in parietem ecclesiae exteriorem impositus

confugere quirent. Maximi autem momenti sunt altaria principalia, quae ipse Chilianus Ignatius Dientzenhofer architectatus est; quorum in meditullio statua sanctae Margarithae reperitur, quae saeculo tertio a praefecto Antiochiae in matrimonium duci recusasse, immo etiam fidei Christianae sectatrix professa, postea morte multata esse fertur. Summa in parte Deum Patrem benedicentem et columbam Spiritus sancti aspiciatis.

Nunc autem oculos ad admirabilem huius templi cameram attollatis, ut illam ab Ioanne Iacobo Steinfelsio magna cum diligentia et arte ornatam spectetis. Circa Apotheosin divi Benedicti in presbyterio depictam nomina ordinum scripta sunt cum numeris, quibus indicatur quot sancti variis ex ordinibus societatis humanae originem trahentes monachi Benedictini fuerint; emblemata imaginibus



Ecclesia S. Margarithae interiora

<sup>4</sup> Tota narratio invenitur in *Vita et passione sancti Venceslai et sanctae Ludmilae aviae eius*, ed. Jaroslav Ludvíkovský, in: *Legenda Christiani. Vita et passio sancti Wenceslai et sancte Ludmille ave eius [Kristiánova legenda = Život a umučení svatého Václava a jeho báby svaté Ludmily]*, Pragae 1978, pp. 8-102.

Ioannis XV et Bonifatii IX, pontificum Romanorum, ornata admirati omnem animi attentionem ad cameram navis perbelle pictam intendatis. Videbitis sanctum Adalbertum quinque sanctis fratribus cinctum, horologium, quo tempus ad orationes ac precationes proferendas aptum designabatur, Alexium et Bonifatium, primos huius ecclesiae patronos, sanctam Crucem adorantes una cum archangelo Michaeli diabolum depellenti, sanctos Benedictinos, inter quos Anastasius, primus archiepiscopus Strigoniensis, Gaudentius, primus archiepiscopus Gnesnensis, Guntherus, Procopius, Adalbertus, de quibus iam plurima verba feci, numerantur; postremo, nisi organa Chiliani Ignatii illius Dientzenhofer restituerentur, sanctos Bohemiae defensores spectaretis; quorum in grege sancti Ioannes Nepomucenus, Adalbertus, Gaudentius, Venceslaus, Lidmilla, Sigismundus et una cum divis Boleslaus Pius, nobilis coenobii conditor, iure meritoque sunt. Imagines Boleslai Pii, Bretislai, Premyslai Ottacari huius nominis primi, Ioannis Luxemburgensis, Rodulfi II, Ferdinandi II Habsburgensium, principum, regum, imperatorum, qui Brevnovienses suppeditarint, emblematis continentur. Hisce magna cum patientia exauditis ecclesiam parumper admiremini, quam primum, ne tempus deficiat, ex ecclesia egrediamini, deorsum in hypogaeum eatis, et sepulcra antiquissima, Romanicam templi cryptam, conclavia subterranea variis temporibus aedificata oculis perlustretis.



Romanica ecclesiae crypta

sunt, sed neque Iesus neque apostoli quidquam praeter quinque panes hordeaceos duosque pisces habuerunt, quod tantae multitudini comedendum proponerent; Iesus autem caelum intuens cibos haudquaquam multos benedixit, fregit panes et discipulis suis dabat, qui eos ante homines ponerent; item duos pisces divisit discubetibusque distribuit. Hisce factis non solum omnes saturati sunt, sed etiam multa -quam mirum et admirabile!- superfuere.<sup>5</sup>

Supra pulcherrima opera udo illita cernuntur, quorum in primo monasterium Brevnoviense diutius aequo neglectum, ideoque anno MDCLXIII<sup>o</sup> in statum pristinum redigendum, villam deliciarum c.n. "Stella", coenobium servitorum in monte Albo situm, in altero pugnam apud Vahlstadium in Silesia contra Tataros commissam, in qua filius sanctae Hedvicae occisus est, in tertio eandem divam ibidem monasterium condentem, in quarto amplissimum monasterium Braunense, in

**III.** Imprimis vobis praelaturam eiusdemque tabulatum primum catervatim ingressuris dicam quae ipsi visuri sitis; primum quattuor virtutes Christianas quae Sapientia, Iustitia, Fides, Fortitudo sunt affabre depictas, scalas deinceps pedetemptim ascendentis photographemata ante quindecim annos capta videbitis; ambulacrum posthac intrabitis, cuius paries imaginibus abbatum, sancti Wolfgangi, miraculi apud Bethsaidam perpetrati ornantur; hic enim Iesum, mundi Salvatorem miseros neglectosque sanantem, magnae hominum turbae secutae



Oecus Mariae Theresiae

<sup>5</sup> Cfr. Mt. 14. 13-22, Mc. 6. 32-45, Lc. 9. 10-17, Io. 6. 1-14.

quinto Policense, in sexto denique fundationem praepositurae Raihradensis depicta videbitis. Quibus ocissime perspectis parvula exedria Sinense et musicale intrabimus, in quibus hospites recipiebantur. Hoc in exedrio admirari poteritis imagines Othomari Zinke et Sartorii, monasterii Brevnoviensis praesulum, Ferdinandi Matthaei Sobek a Bilenberg, qui medio saeculo septimo decimo abbas duorum monasteriorum archiepiscopusque Pragensis e vita discessit et Braunae sepultus est.

Paucis abhinc temporis momentis oecum Mariae Theresiae Habsburgensi, Bohemiae Hungariaeque reginae, dicatum ingressi fortasse quaeritis qua de causa his in aedibus id genus conclave sit. Paucis enodabo; nam Maria Theresia *"in regem Bohemiae gloriosissime coronata anno 1743"*, quae verba parieti inscripta ipsi videtis, omnia huiusce monasterii privilegia confirmavit. Paries ergo ad septentriones vergens imaginibus imperatoris Caroli VI, Mariae Theresiae, filiae eius, una cum Iosepho, filio suo, imperatoris Iosephi I ornatus est; parieti vero ad meridiem spectanti imagines imperatorum Ferdinandi II, Francisci Stephani Lotharingi, mariti Mariae Theresiae, Leopoldi I ornamento sunt. Media in camera miraculum ita ut in Vita beati Guntheri eremitae traditur depictum est; cum enim Guntherus in austestate vitae perseveraret, et exemplo plurimos ad viam veritatis inclinaret, fama eius usque ad Stephani, regis Hungarorum, aures pervenit; qui illum venerabilem cognatum suum cognoscere concupivit legatosque haud indignos misit, qui eum ad aulam suam comitarentur. Guntherus autem bis se in regiam venturum denegavit, sed tertio adnuit legatisque admodum

reverendis comitatus Budam pervenit; illico cum Guntherus mensae consedisset, rex pavonem assatum apponi iussit et ut carnibus vesceretur flagitare cooperat. At beatus vir regulam servare volens, animum vero regis sibi persuadentis offendere nolens lacrimis profusis divinam clementiam implorabat, ne illicitis cibariis pollueretur. Cum Dei famulus orationem complevisset, caput e manibus sustulisset, avem assatam vitae pristinae redditam avolantem conspexit. Quo miraculo viso cuncti Deo gratias referebant nec amplius sancti viri



Miraculum beati Guntheri in camera depictum  
voluntati resistebant.<sup>6</sup>

Ceteris in conclavibus ad diaetam abbatum pertinentibus supellectilem, quam huius monasterii structor architectatus est, fornaces et parietarios et testaceas, pinacotheculam monasterii admirabimini: primum sacellum, in quo Fides, Perennitas, Ecclesia una cum conventu Udalrici, principis Bohemorum, et Procopii, eremite Sasaviensis, depicta sunt, deinde cubiculum cum apodyterio, tum musaeolum et exedrium Pompeianum, denique triclinium quandam, nunc vero pinacothecam ingressuri estis.

**IV.** Quam multi sint monachi et unde, fortassis scire cupitis, pecuniam ad haec omnia non solum servanda, sed etiam augenda nacti sint? Primum tota in re publica nostra tantummodo viginti quinque sunt monachi Benedictini, qui quattuor in monasteriis vitam degunt; deinde praeter mercedem quam pauci eorum a gubernatoribus rei publicae accipiunt, aedes praelatura ad epulas nuptiales celebrandas, ad varia seminaria habenda locant, aliquid quoque pecuniae ex devensorio c.n. "Adalbertus" et popina ante ecclesiam principalem sitis comparari possunt; at haec omnia ad aedes tam diu neglectas soloque prope dirutas restituendas non sufficiunt et ea ipsa de causa arbor illa pulcherrima sumptibus partim

<sup>6</sup> Vide adnotationem tertiam.

monasterii partim rei publicae denuo plantanda curatur. Ne autem putetis monachos Brevnovienses ad res minimas, quin immo ad lucrum faciendum omnes intendere vires (longe enim abest ab iis id facere), sciatis eos ab omni lucro alienos his in locis concentus musicos iuvenibus, discipulis, infirmis sublevandis instruere solere, eos praeter nos item Ioannem Paulum II, pontificem maximum, Ioannem Carolum, regem Hispaniae, Carolum, principem Cambriae, Venceslaum Havel, praesidem olim Bohemoslovaciae, postea vero Rei publicae Bohemicae, recepisse. Haec omnia ut quam brevissime concludam peccatumque multiloquii effugiam, monasterium ad domum conferam quae, etsi venerunt flumina, flaverunt venti et impigerunt in eam, non cecidit, quia fundata erat super petram, super veram erga Deum pietatem. DIXI.

## Nominum locorum conspectus<sup>7</sup>

**Brauna** -ae *f*, adi. Braunensis -e: oppidum in Bohemia prope fines Poloniae situm, quod Bohemice “Broumov”, Theodisce “Braunau” appellatur.

**Brevnovium** -ii *n*, adi. Brevnoviensis -e: nomen quondam vici, nunc regionis Pragensis, quae vulgo “Břevnov” nuncupatur.

**Gabreta silva** -ae *f*: montes in confinio Bavarо-Bohemico siti, qui Theodisce “Bayerischer Wald” et “Böhmerwald”, Bohemice “Bavorský les” et “Šumava” et “Český les” vocantur.

**Policium** -ii *n*, adi. Polic(i)ensis -e: oppidum ad fluvium Metaviam in Bohemia prope fines Poloniae situm, quod Bohemice “Police nad Metuji”, Theodisce “Politz and der Mettau” appellatur.

**Raihradium** -ii *n*, adi. Raihrad(i)ensis -e: oppidum in Moravia meridiana situm, quod Bohemice “Rajhrad”, Theodisce “Groß-Raigern” vocatur.

**Sasavia** -ae *f*, adi. Sasaviensis -e: oppidum in media Bohemia ad eiusdem nominis fluvium situm, quod vulgo “Sázava” nuncupatur.

**Sublaqueum** -i *n*, adi. Sublacensis -e: oppidum Latii, quod vulgo “Subiaco” vocatur.

**Vahlstadium** -ii *n*, adi. Vahlstadiensis -e: locus in Silesia Polonica situs, qui Polonice “Legnickie Pole”, Theodisce “Wahlstatt”, Bohemice “Lehnické Pole” appellatur.

**Vicus** -i *m* **Varronis**: oppidum Latii in sinistra Anienis ripa, inter Sublaqueum et Tibur, situm, quod vulgo “Vicovaro” nuncupatur.

---

<sup>7</sup> Quod ad cetera locorum nomina hac in oratione adhibita spectat, vide Caroli Egger *Lexicon nominum locorum*. Romae 1997.